Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31292
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

Dixi · idest · statui · et · pro
posui firmiter in corde meo custodire vias
meas acciones meas tali diligencia ut et
lingua mea non offendam loquendo fatua
et ociosa verba aut generaliter que locutum me fuisse
peniteret
vt non delinquam Posui ori meo custodiam cautelam
in loquendo ut eciam statuerim a bonis silere et a predicacione
abstinere / et hoc cum consisteret peccator ut hereticus vel
reprobus aduersum me querens vnde ex verbis meis ca-
lumpniam possit efficere
Posui custodiam ori meo usque adeo quod Obmutui volens
uitare contencionem cum peccatoribus impugnantibus me / sed
afflictus sum quia propter hoc silui a bonis enunciatibus (al enunciandis)
hominibus / desiderantibus veritatem audire vnde dolor meus
renouatus est prius dolui de indiscreta locucione / modo doleo
de indiscreta taciturnitate
verum videns hincinde pericula Inquietum est factum cor
meum et in hac fluctuacione tacendi inter calumpniosos
et loquendi inter audire paratos concitatus est calor in cor-
de meo ad loquendum amore proximorum
Inter has difficultates querens locum ubi hec non paciar
Locutus sum deo meo in lingua mea toto corde et ore
eum deprecando notum fac michi finem meum xpm qui
est finis noster consummacio in presenti ad iusticiam et in
futuro ad coronam Ibi enim gaudebo de socio non timebo
de aduersario ibi enim contemplator meus erit amicus
non calumpniator inimicus
Et numerum dierum meorum quo in hoc mundo me viuere
decreuisti ostende michi quis est i. quantum supersit ut sciam
quid desit michi de tempore vite mee
Ideo autem vellem scire numerum dierum meorum quia breuis
est uita mea vnde Mensurabiles . i. breues et transitorios